

# **ANEXO II:**

## **EL APRENDIZAJE DEL LATÍN A TRAVÉS DE LA MÚSICA**

## ÍNDICE

---

### PRIMERAS CANCIONES:

• In Italia est Brundisium (Oh my darling Clementine)	1
• Iulius portatur (Un elefante se balanceaba)	1
• Puella et rosa (The wheels on the bus)	2
• Urbis ardent (London's burning)	3
• Laudes matutinas (Las mañanitas)	3
• Aestate consuetudines (Auld lang syne)	3

### POEMAS MEDIEVALES:

• Carmen leporis	4
• Aestuans interius (Carmen Buranum 191)	5
• Lauriger Horati	6
• Bacche bene venies... (Carmen Buranum 200)	7
• In taberna (Carmen Buranum 196)	8-9
• Pervigilium Veneris (con ritmo de La Tarantella)	10

### POEMAS CLÁSICOS:

#### Sapphicum sistema minus

• Iam satis terris (Horacio I. 2)	11-12
• Furi et Aureli (Catulo 11)	13

#### Alcaicum sistema:

• Vides ut alta (Horacio II. 9)	14
---------------------------------	----

#### Asclepiadium sistema alterum:

• Pastor cum traheret (Horacio I. 15)	15-16
---------------------------------------	-------

#### Asclepiadium sistema tertium:

• O fons Bandusiae (Horacio III. 13)	17
--------------------------------------	----

#### Asclepiadium sistema quartum:

• Donec gratus eram tibi (Horacio III. 9)	18
---	----

#### Asclepiadium sistema quintum:

• Tu ne quaesieris (Carpe diem) (Horacio I. 11)	19-20
---	-------

Phalaeceus versus hendecasyllabus:	
• Vivamus, mea Lesbia (Catulo 5)	21
• Lugete (Catulo 3)	22
Glyconium sistema tetracolon:	
• Dianae sumus in fide (Catulo 34)	23
Dactylicus hexameter sive herous:	
• Aeneadum genetrix (Lucrecio I, vv.1-43)	24
Disticon elegiacum	
• Cum subit illius (Ovidio Tristia I, 3; 1-24)	25
• Quis fuit, horrendos (Tibulo I, 10 vv. 1-16 y 29-34)	26
Archilicum sistema primum:	
• Diffugere nives (Horacio IV, 7)	27-28
Iambus trimeter purus:	
• Phasellus ille, quem videtis (Catulo 4)	29
Iambus trimeter claudus vel choriambus:	
• Paeninsularum (Catulo 31)	30-31
Iambicum sistema epodicum:	
• Quo, quo scelesti ruitis? (Horacio <i>Epodas</i> 7)	32-33
Ionicum sistema:	
• Miserarum est neque amori (Horacio III, 12)	34
Ionicus tetrameter (sive versus galliambicus):	
• Super alta vectus Attis (Catulo 63)	35
Archilicum sistema alterum:	
• Horrida tempestas (Horacio <i>Epodas</i> 13)	36-37
Hexameter:	
• Conticuere omnes (Virgilio <i>Eneida</i> II. vv. 1- 13)	38-39

## Capitulum I – Imperium Romanum

In Italia   est Brundisium		Num est Rhenus in Aegypto?
Tusculumque: oppida sunt	Ubi Aegyptus est? In Asia?	Minime! Non Rhenus est!
Fluvii multi   insulaeque	Num in Asia Aegyptus est?	
Multae in Italia sunt!	Minime! Non ibi est!	Num Danuvius ibi est?
	Minime! Non ibi est!	Minime, o minime!
In Europā   est Italia		In Aegypto Nilus est!
Est Hispania Galliaque;		In Aegypto Nilus est!
Estne Aegyptus in Europa?	Ubi fluvius unus magnus,	
Minime! Non ibi est!	Ibi Aegyptus; ibi est.	

## Capitulum VI – Via Latina

Iulius portatur ab unō servō  
Tusculō it ad suam villam,  
sed quia Iulius est valde crassus,  
iam secundus servus advocatur.

Iulius portatur a Davō et Ursō  
inter servos viā Latinā,  
sed quia Iulius est valde crassus,  
tertius servus advocatur.

Davus et Ursus et Syrus quoque  
Iulium portant in lecticā,  
sed quia Iulius est valde crassus,  
Leander quoque advocatur.

Iulius portatur a quattuor servis  
iam prope villam, ad familiam,  
sed quia Iulius est valde crassus,  
lecticā non iam sustinetur.

Iulius viā Latinā ad suam villam it,  
Medus procul a villā Romam ambulat,  
quia Romae pulchra puella est:  
Lydia, quam is valde amat  
et a quā amatur,  
itaque cantitat.


Cornelius ecce viā Latinā ve-he-vehitur,  
Romā it ad villam suam quae Tusculi est;  
nunc Cornelius, qui equō vehitur  
est inter Tusculum et Romam,  
sed non est fessus,  
quia non ambulat.

Iulius prope villam suam nunc iam est,  
Medus autem qui timet suum dominum,  
procul ab eius villā abest  
et ante eum iam Roma est:  
per portam intrat  
salutatque Lydiam.

Capitulum VII  
Puella et rosa

(The wheels on the bus)

<p>Puer puellae rosam dat pulchrae puellae rosam dat puer puellae rosam dat in Foro Romano.</p> <p>Puella puero osculum dat foedo puero osculum dat puella puero osculum dat in Foro Romano.</p> <p>Domini servis imperant fessis servis imperant domini servis imperant in via Latina.</p> <p>Servi dominis non parent malis dominis non parent servi dominis non parent in via Latina.</p>	<p>Puer puellae rosam dat. Cui puellae rosam dat? Ei puellae rosam dat in Foro Romano.</p> <p>Puella puero osculum dat. Cui puero osculum dat? Ei puero osculum dat in Foro Romano.</p> <p>Domini servis imperant. Quibus servis imperant? Iis servis imperant in via Latina.</p> <p>Servi dominis non parent. Quibus dominis non parent? Iis dominis non parent in via Latina.</p>
--	---



### URBIS ARDENT

Urbis ardent tecta Romae  
ferte fontes, ferte rivos!  
En flammis, en flammis!  
Tecta Romae dant ruinas.

Imperatorem Neronem  
in Palatino sedentem  
aspectas, aspectas!  
En Nero, qui dulce cantat.

„Christianos ad leones,  
machinatores malorum!  
Festina, festina  
et feris da mox saginam!”

### Laudes matutinas (Las mañanitas)

Ecce laudes matutinas  
quas cantabat David rex  
ad personas tan divinas  
hic nunc cantabitur prex.

Exsurge, dilecta, exsurge!  
Vide, surrexit sol iam  
iam cecinerunt volucres  
Lunaque occultata est clam.



### AULD LANG SYNE

Aestate consuetudines firmantur antiquae,  
Oblivionem spernimus nos turba amicorum.  
potemus ergo poculum, iungemus et palmas,  
felixque faustumque omen hae saltationes sint.

**Carmen leporis**  
ad capitulum X Familiae Romanae

Flebat lepus parvulus  
clamans altis vocibus:  
*Unde ira est hominibus,*  
*quod me captant canibus?*

Neque in horto eram  
neque holus edebam  
*Unde ira est hominibus,*  
*quod me captant canibus?*

Longas aures habeo  
brevem caudam habeo  
*Unde ira est hominibus,*  
*quod me captant canibus?*

Leves pedes habeo  
magnum saltum facio  
*Unde ira est hominibus,*  
*quod me captant canibus?*

Caro mea dulcis est  
pellis mea mollis est  
*Unde ira est hominibus,*  
*quod me captant canibus?*

Cum servuli vident me:  
„Veni, veni!” vocant me  
*Unde ira est hominibus,*  
*quod me captant canibus?*

Domus mea silva est,  
lectus meus durus est.  
*Unde ira est hominibus,*  
*quod me captant canibus?*

Dum montes ego ascendo  
canes numquam timeo  
*Unde ira est hominibus,*  
*quod me captant canibus?*

Dum in villam venio  
gaudet vir – et non ego.  
*Unde ira est hominibus,*  
*quod me captant canibus?*

Dum viri comedunt me  
vinum bibunt supra me!  
*Unde ira est hominibus,*  
*quod me captant canibus?*

Archipoeta  
Aestuans interius  
Carmen Buranum 191

<p>Aestuans interius ira vehementi in amaritudine loquor meae menti; factus de materia levis elementi, similis sum folio, de quo ludunt venti.</p> <p>Cum sit enim proprium viro sapienti supra petram ponere sedem fundamenti, stultus ego comparor fluvio labenti sub eodem tramite numquam permanenti.</p> <p>Feror ego veluti sine nauta navis, ut per vias aeris vaga fertur avis; non me tenent vincula, non me tenet clavis; quaero mihi similes, et adiungo pravis.</p> <p>Mihi cordis gravitas res videtur gravis; iocus est amabilis dulcior-que favis; quicquid Venus imperat, labor est suavis, quae numquam in cordibus habitat ignavis.</p> <p>Via lata gradior more iuventutis, implicor et vitiis immemor virtutis, voluptatis avidus magis quam salutis, mortuus in anima curam gero cutis.</p>	<p>intus interius intime vehemens -ntis = fortis amaritudo -inis <i>f</i> ↔ gaudium -i <i>n</i></p> <p>elementum -i <i>n</i></p> <p>de quo ludunt : quo ludunt</p> <p>proprium viro sapienti : quod vir prudens facere solet petra -ae <i>f</i> = magnus lapis sedes -is <i>f</i> = locus fundamentum -i <i>n</i></p> <p>trames -itis <i>m</i> = via per-manere</p> <p>veluti = sicut, tamquam</p> <p>vagus -a -um = errans vinculum -i <i>n</i> (&lt; vincire) = anulus catenae</p> <p>ad-iungo : addo, con-iungo</p> <p>gravitas -atis <i>f</i> &lt; gravis</p> <p>amabilis -e = quod amari potest dulcis dulcior dulcissimus favus -i <i>m</i> = quo apes mel colligunt suavis -e = dulcis, quod gaudium fert ignavus -a -um = piger</p> <p>mos -ris <i>m</i> = quod facere solemus iuventus -tis <i>f</i> : adolescentes im-plico : vincio vitium -i <i>n</i> ↔ animus probus immemor -ris + <i>gen</i> : qui memoriam non habet virtus -tis <i>f</i> = animus fortis et probus voluptas -tis <i>f</i> = res omnes quibus gaudemus avidus -a -um : qui cupit cutis -is <i>f</i> = pars exterior corporis curam gerere : curare</p>
--	--



### Lauriger Horatii

<p>Lauriger Horati, tu, quam dixisti verum, fugit Euro citius Tempus, edax rerum.</p> <p><i>Ubi sunt, o, pocula dulciora melle, ritxae pax et oscula rubentis puellae.</i></p> <p>Crescit uva molliter et puella crescit, sed poeta turpiter, sitiens canescit.</p> <p><i>Ubi sunt, o, pocula...</i></p> <p>Quid iuvat aeternitas nominis, amare nisi terrae filias licet, et potare?</p> <p><i>Ubi sunt, o, pocula...</i></p>	<p>lauriger -is <i>adj</i> = qui gerit laurum laurus -i <i>f</i> = arbor Apollinis, cuius ex foliis coronae conficiuntur poetis Eurus -i <i>m</i> = ventus celerrimus qui ex oriente flat citus -a -um = celer edax -acis <i>adj</i> = qui omnia comedit</p> <p>mel -lis <i>n</i> = cibus dulcissimus quem apes e floribus faciunt rixa -ae <i>f</i> ↔ pax</p> <p>uva -ae <i>f</i> = fructus ex quo vinum fit crescere = maior fieri poeta -ae <i>m</i> = qui carmina scribit turpiter &lt; turpis sitire = bibere velle canescere = canus fieri (canus est color capilli hominis senis)</p> <p>aeternitas -atis <i>f</i> &lt; aeternus (qui nunquam finem habet)</p> <p>potare = bibere multum</p>
--	---

Bacche bene venies...


*Carm. Bur. 200.*

<p>Bacche, bene venies gratus et optatus, per quem noster animus fit laetificatus.</p> <p>Istud vinum, bonum vinum, vinum generosum, reddit virum curialem, probum, animosum.</p> <p>Iste sciphus concavus de bono mero profluus si quis bibit saepius, satur fit et ebrius.</p> <p>Istud vinum, bonum vinum...</p> <p>Bacchus venas penetrans calido liquore facit eas igneas Veneris ardore.</p> <p>Istud vinum, bonum vinum...</p> <p>Bacchus lenis leniens curas et dolores confert iocum, gaudia, risus et amores.</p> <p>Istud vinum, bonum vinum...</p> <p>Omnes tibi canimus maxima praeconia, te laudantes merito tempora per omnia.</p> <p>Istud vinum, bonum vinum...</p>	<p>Bacchus -i m = deus vini gratus -a -um = qui placet optatus -a -um = gratus, quod volumus laetificatus -a -um &lt; lactus + factus</p> <p>generosus -a -um : boni generis curialis -e <i>mediev.</i> : dignus curiā (= domo regis) animosus -a -um (&lt; animus) : fortis</p> <p>sciphus -i m = poculum concavus -a -um : rotundus intus merum -i n = vinum profluus -a -um &lt; pro-fluere saepius &lt; saepe satur -a- um : qui satis habet ebrius -a -um = qui nimis multum vini bibit</p> <p>penetrare -avisse -atum = intrare liquor -oris m = quod fluit (aqua, vinum, cetera) igneus -a -um &lt; ignis ardor -oris m &lt; ardere</p> <p>lenis -e ↔ ferus lenire = lenem facere curae -arum <i>fpl</i> : quibus animus turbatur dolor -oris m = quod dolet con-ferre iocus -i m : quo ridemus gaudium -i n &lt; gaudere risus -us m &lt; ridere</p> <p>praeconium -i n : laus merito = non sine causa</p>
<p>E Bacche, bene venies A E gratus et optatus, C#min E per quem noster animus B7 E fit laetificatus.</p>	<p>E Istud vinum, bonum vinum, A vinum generosum, E reddit virum curialem, A B E probum, animosum.</p>

In taberna  
CB. 196.

<p>1. In taberna quando sumus, non curamus, quid sit humus, sed ad ludum properamus, cui semper insudamus. Quid agatur in taberna, ubi nummus est pincerna: hoc est opus, ut quaeratur, sed quid loquar, audiatur.</p>	<p><b>quando</b> = cum <b>properare</b> = celeriter ire, festinare <b>in-sudare</b> = vehementer operam dare</p> <p><b>pincerna</b> -ae <i>m</i> = minister</p>
<p>2. Quidam ludunt, quidam bibunt, quidam indiscrete vivunt. Sed in ludo qui morantur, ex his quidam denudantur; quidam ibi vestiuntur, quidam saccis induuntur. Ibi nullus timet mortem, sed pro Baccho mittunt sortem.</p>	<p><b>in-discrete</b> : sine pudore <b>de-nudare</b> = nudum facere</p> <p><b>Bacchus</b> -i <i>m</i> = deus vini <b>sortem mittere</b> = fortuná ludere</p>
<p>3. Primo pro nummata vini; ex hac bibunt libertini. Semel bibunt pro captivis, post haec bibunt ter pro vivis, quater pro Christianis cunctis, quinquies pro fidelibus defunctis, sexies pro sororibus vanis, septies pro militibus silvanis.</p>	<p><b>nummata</b> -ae <i>f</i> = mensura unius nummi <b>libertinus</b> -i <i>m</i> <i>mediev.</i> = qui rebus improbis gaudet <b>captivus</b> -i <i>m</i> = homo in carcere custoditus; (<i>mediev.</i> : homo nequam) <b>fidelis</b> -e : Christi fidelis, Christianus <b>defunctus</b> -a -um = mortuus <b>vanus</b> -a -um : gloriosus qui de nugis tantum curat <b>silvanus</b> -a -um <i>mediev.</i> : qui in silva habitat</p>
<p>4. Octies pro fratribus perversis, novies pro monachis dispersis, decies pro navigantibus, undecies pro discordantibus, duodecies pro paenitentibus, tredecies pro iter agentibus. Tam pro papa quam pro rege bibunt omnes sine lege.</p>	<p><b>perversus</b> -a -um = improbus <b>monachus</b> -i <i>m</i> = qui vitam deo consecratam in monasterio agit <b>di-spersus</b> (&lt; spargere) <b>discordans</b> -ntis <i>mediev.</i> = discors, qui rixatur <b>me paenitet alicuius rei</b> = doleo propter rem quam prave feci <b>papa</b> -ae <i>m</i> = pontifex Catholicae ecclesiae</p>
<p>5. Bibit era, bibit erus, bibit miles, bibit clerus, bibit ille, bibit illa, bibit servus cum ancilla, bibit velox, bibit piger, bibit albus, bibit niger, bibit constans, bibit vagus, bibit rudis, bibit magus,</p>	<p><b>clerus</b> -i <i>m</i> = sacerdos</p> <p><b>magus</b> -i <i>m</i> : eruditus, doctus</p>

<p>6. Bibit pauper et aegrotus, bibit exul et ignotus, bibit puer, bibit canus, bibit praesul et decanus, bibit soror, bibit frater, bibit anus, bibit mater, bibit ista, bibit ille, bibunt centum, bibunt mille.</p> <p>7. Parum durant sex nummatae, † ubi ipsi immoderate bibunt omnes sine meta, quamvis bibant mente laeta. Sic nos rodunt omnes gentes, et sic erimus egentes. Qui nos rodunt, confundantur et cum iustis non scribantur.</p>	<p>exul -is <i>m</i> = qui in exilium missus est canus -a -um = cui albi sunt capilli praesul -is <i>m</i> = qui ecclesiae praest decanus -i <i>m</i> = qui academiae praest anus -us <i>f</i> = femina vetus</p> <p>immoderate <i>adv</i> = sine modo sineque mensura</p> <p>meta -ae <i>f</i> = finis</p> <p>rodere + <i>acc.</i> = mordere, maledicere + <i>dat.</i></p> <p>egens -ntis (&lt; egere) = pauper : cum iustis non scribantur post mortem, die ultimi iudicii</p>
--	--



Incerti Auctoris  
Pervigilium Veneris

*Metrum: Tetrametri versus trochaici*

*Cras amet qui numqu<sup>am</sup> amavit quiqu<sup>e</sup> amavit cras amet.*

1) Ver novum, ver iam canorum, vere natus orbis est,

Vere concordant amores, vere nubunt alites,

2) Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.

Cras amorum copulatrix inter umbras arborum

implicat casas virentes de flagello myrteo:

Cras Dione iura dicit fulta sublimi throno.

[...]

*Cras amet qui numqu<sup>am</sup> amavit quiqu<sup>e</sup> amavit cras amet.*

1) Ecce iam subter genestas explicant tauri latus,

Quisque tutus quo tenetur coniugali foedere.

2) Subter umbras cum maritis ecce balantum greges:

Et canoras non tacere diva iussit alites.

Iam loquaces ore rauco stagna cygni perstrepunt:

Adsonat Terei puella subter umbram populi...

*(Cras amet qui numqu<sup>am</sup> amavit quiqu<sup>e</sup> amavit cras amet.)*

1) ...Ut putes motus amoris ore dici musico,

Et neges queri sororem de marito barbaro.

2) Illa cantat, nos tacemus. Quando ver venit meum?

Quando fi<sup>am</sup> uti chelidon, ut tacere desinam?

Perdidi Musam tacendo, nec me Phoebus respicit.

Sic Amyclas, cum tacerent, perdidit silentium.

*Cras amet qui numqu<sup>am</sup> amavit quiqu<sup>e</sup> amavit cras amet.*



concordare -visse -atum = amicitia/concordia iungi  
canorus -a -um = canens  
orbis -is m : orbis terrarum  
ales -itis f (< ala) = avis  
nemus -oris n = silva  
coma -ae f = folia arborum  
copulatrix -trix f = quae copulat  
amorum copulatrix = Venus  
casa -ae f = parva domus  
Venus casas implicat de flagello myrteo = Venus ex ramis  
myrti copulatis parvas domus conficit  
virere -uisse = herbae colore esse

myrteus -ea -eum < myrtus -i f  
flagellum -i n : rami foliis pleni  
Dione -es f = Veneris mater; hic tamen pro ipsa Venere stat  
iura dicere = iudicare  
fulcire fulsisse fultum = sustinere  
sublimis -e = altus  
thronus -i m = sella regia

subter + acc = infra  
latus explicare : latus late extendere; iacere  
balantum greges : oves  
raucus -a -um ↔ canorus  
loquax -acis = qui multum loquitur  
stagnum -i n = locus aquae stantis (= non fluentis)  
per-strepere -uisse -itum = strepitu/clamoribus implere  
ad-sonare  
Tereus -i m = rex Thraciae, qui Procne, regis Atheniensis  
filiam uxorem duxit, cuius in sororem Philomelam vim  
intulit. Postquam Tereum punientes eius filium occidunt,  
Procne in lusciniam, Philomela in hirundinem  
mutata est.

Terei puella : Philomela; hirundo






populus -i f

motus amoris : affectus amoris  
ore musico : canendo  
soror : Procne; luscini  
chelidon -onis f = hirundo  
Amyclae -arum f pl = civitas, cuius custodes cum saepius  
falso hostium adventum nuntiarent, legibus vetitum est, ne  
quis temere hoc faceret; unde Amyclae postea ex  
improviso captae sunt.

Quintus Horatius Flaccus  
Ad Augustum  
Od. I, 2.

*Metrum: Stropha Sapphica (tres hendecasyllabi Sapphici cum versu Adoneo in fine)*

<p>Iam satis terris nivis atque dirae grandinis misit pater et rubente dextera sacras iaculatus arces terruit Urbem,</p>		<p>grando -inis <i>f</i> = imber mixtus glacie iaculari -atum esse = iterum iterumque iacere ← arx -cis <i>f</i>    arces sacrae : templa (in Capitolio sita) Urbem : Romam    saeculum : aetas Pyrrha -ae <i>f</i> = uxor Deucalionis, qui soli superfuerunt postquam Iuppiter, homines punire volens, terram aquá impleverat</p>
<p>terruit gentes, grave ne rediret saeculum Pyrrhae nova monstra questae, omne cum Proteus pecus egit altos visere montes</p>		<p>: Pyrrhae questae <i>propter</i> nova monstra Proteus -i <i>m</i> : deus maris, pastor Neptuni pecus Protei : animalia quae in mari habitant egit visere : egit ut viserent haerere -sisse -sum = fixus esse, moveri non posse ← ulmus -i <i>f</i>    sedes -is <i>f</i> = locus ubi aliquis habitat super-iacere superiecisse superiectum pavidus -a -um = timidus, territus</p>
<p>pisci<sup>um</sup> et summa genus haesit ulmo, nota quae sedes fuerat columbis, et superiecto pavidae natarunt aequore dammae.</p>		<p>← damma -ae <i>f</i>    aequor -oris <i>n</i> = mare aequor <i>terris</i> superiectum : aqua maris quae terras implet natarunt flavus -a -um = color auri (: propter terram aquae mixtam) re-torquere retorsisse retortum = vi flectere (Tiberis retortis undis it : Tiberis undae, ex cursu flexae, aberrant)</p>
<p>vidimus flavum Tiberim retortis litore Etrusco violenter undis ire deiectum monumenta regis templaque Vestae,</p>		<p>litus Etruscum : ripa Tiberis dextera (ubi ager Vati- canus situs est) violenter = magna cum vi de-icere deiecisse deiectum = destruere monumenta regis : domus Numae Pompilii regis Ilia -ae <i>f</i> = Rhea Silvia, mater Romuli et Remi, quae in Tiberi mortua esse, et inde fluminis uxor esse dicitur iactare se = gloriosus esse    ultor -ris <i>m</i> = qui punit vagus -a -um = errans    probare = probum esse putare uxorius -a -um (&lt; uxor) = qui uxori semper paret acuere -uisse -utum = acutum facere    ferrum : gladius Persae -arum <i>m pl</i> = populus Asiae (: Parthi, qui fuerunt gens Asiae ferocissima, quos illis annis Octavianus princeps bello vincere volebat) graves Persae : Parthi qui Romanis molesti sunt vitium -i <i>n</i> ↔ virtus    iuventus -utis <i>f</i> : iuvenes audiet pugnas iuventus rara vitio parentum : iuventus, quae propter parentum vitia (: maleficia) rara est, audiet de pugnis</p>
<p>Iliae dum se nimium querenti iactat ultorem, vagus et sinistra labitur ripa Iove non probant<sup>ur</sup> u- xorius amnis.</p>		
<p>audiet cives acuisse ferrum, quo graves Persae melius perirent, audiet pugnas vitio parentum rara iuventus.</p>		
<p>Quem vocet divum populus ruentis imperi rebus? prece qua fatigent virgines sanctae minus audientem carmina Vestam?</p>		<p>ruere -isse -tum = col-labi, con-cidere imperi    prece : precibus    quibus precibus... ? fatigare = fessam facere carmina <i>sacra</i> : preces</p>

<p>Cui dabit partes scelus expiandi Iuppiter? Tandem venias precamur nube candentes umeros amictus augur Apollo;</p> <p>sive tu mavis, Erycina ridens, quam Iocus circum volat et Cupido; sive neglectum genus et nepotes respicis auctor,</p> <p>heu nimis longo satiata ludo, quem iuvat clamor galeaeque leves acer et Marsi peditis cruentum vultus in hostem;</p> <p>sive mutata iuvenem figura ales in terris imitaris almae filius Maiæ patiens vocari Caesaris ultor,</p> <p>serus in caelum redeas diuque laetus intersis populo Quirini, neve te nostris vitiis iniquum ocior aura</p> <p>tollat: hic magnos potius triumphos, hic ames dici pater atque princeps, neu sinas Medos equitar<sup>e</sup> inultos te duce, Caesar.</p>	<p>partes : officium, munus scelus -eris <i>n</i> = grave maleficium ex-plare = recte agendo iniuriam delere candens -entis <i>adi</i> = candidus amicire – amictus = vestire augur -ris <i>m</i> = sacerdos qui ea quae futura sunt dicit : o Apollo augur, te precamur ut venias amictus (: vestitus) nube candentes umeros (: in candentibus umervis)</p> <p>Erycina -ae <i>f</i> Venus (genetrix Aeneae populique Romani; cui filius in Eryce, monte Siciliae, templum nobilissimum aedificavit)</p> <p>Iocus -i <i>m</i> = deus risús (iocus = dictum iocosum) : venias, o Apollo, sive tu, o Venus, sive tu... respicere -spexisse -spectum = curare auctor -ōris <i>m</i> = is ā quō rēs orta est auctor <i>generis Romani</i> : Mars (pater Romuli) satiare satiavi satiatum (&lt;satis) = satis dare : o Mars, auctor satiatae... ← galea -ae <i>f</i> Marsus -a -um = Romanorum milites fortissimi qui ex montibus prope Romam situs orti sunt : mutata figurá imitaris iuvenem in terris (iuvenem humanum qui in terris habitat) ales -itis = qui alas gerit    almus -a -um = qui alit Mala -ae <i>f</i> = mater Mercurii patiens vocari Caesaris ultor : qui grato animo patieris (: fers) vocari ultor Caesaris</p> <p>serus -a -um = tardus Quirinus -i <i>m</i> = nomen Romuli facti dei ocior -ius (<i>superl</i>: ocissimus) = celerior, velocior aura -ae <i>f</i> = ventus levis : neve aura te, qui non es dignus nostris vitiis, ex terris rursus in caelum tollat</p> <p>hic ames magnos potius triumphos Medus -i <i>m</i> : Parthus te duce : dum tu dux es in-ultus = qui non est punitus</p>
---	---



(1)

F      B<sup>b</sup>      C      F  
Iam satis terris nivis atque dirae  
F      Dm      B<sup>b</sup>      C  
grandinis misit pater et rubente  
C                      Dm Am  
dextera sacras iaculatus arces  
C      F  
terrui urbem

(2)

Dm                      Am      Dm  
Iliae dum se nimium querenti  
Gm                      F      C  
iactat ultorem, vagus et sinistra  
F                              C                      Dm  
labitur ripa Iove non probant<sup>e</sup> u-  
C      F  
xorius amnis.

Catulli carmen Ad Furium et Aurelium (*Carm. XI*)

Catullus Furium et Aurelium, malevolos amicos alloquitur, qui Romā Veronam eunt, epistulam Catullo ferentes, qua Lesbia post multos annos scribit se adhuc respicere atque recordari amorem Catulli. Cuius responsum hoc est:

[1] O Furi et Aureli, dicitis vos esse optimos comites Catulli, atque cum eo ituros esse in omnes terras, quocumque ibit; sive penetrabit in extremas terras quae ad solis ortum spectant: ad litus Indiae, quod Mare Eoum pulsat undis longe resonantibus; [2] sive adibit ad Mare Caspium, ubi Hyrcaei habitant; vel in terras Arabum, qui molles sunt et in luxu vitam agunt; sive ad regiones Scytharum: ad Sacas, vel ad Parthos, qui duri milites sunt et sagittis optime utuntur; sive iter faciet ad Africam: ad illa aequora, quae Nilus per septem ora influens colore afficit; [3] sive trans-gredietur altas Alpes, ubi visurus est monumenta atque signa magni Caesaris, qui nuper Helvetos atque Gallos sub Romanorum imperium coegit; ubi visurus est etiam flumen Rhenum, et tandem illud mare saevum et horrendum, quod Gallos dividit a Britannis, qui ultimam terram ad solis occasum spectantem incolunt.

[4] Ecce, dicitis vos esse paratos simul cum Catullo ire, quocumque eum feret voluntas deorum caelestium. At ego, Catullus, a vobis, tam bonis dulcibusque amicis, unum tantum atque breve iter rogo. Ite Romam, quaeso, atque nuntiate „meae puellae” pauca verba, quae tamen bona non sunt: [5] „Vivat et valeat cum suis turpibus moechis, quos simul trecentos complexa tenet, neque tamen ullum vere amat, sed iterum iterumque eos amore fatigat atque eos ad furorem ducit. [6] Nuntiate etiam, ne meum amorem respectet, ut ante faciebat: nam amor meus propter illius culpam iam periit, tamquam flos in extremo agro, postquam agricola, dum aratro eum praeterit, tetigit atque secuit.

Metrum: Stropha Sapphica.

<p>Fur<sup>i</sup> et Aureli, <i>comites Catulli</i>, siv<sup>o</sup> in extremos penetrabit Indos, litus ut longe resonant<sup>o</sup> Eoā tunditur undā,  siv<sup>o</sup> in Hyrcanos Arabasve molles, seu Sacas sagittiferosve Parthos, sive quae septemgeminus colorat aequora Nilus,  sive trans altas gradietur Alpes, Caesaris visens monumenta magni, Gallicum Rhen<sup>um</sup>, horribil<sup>o</sup> aequor ulti- mosque Britannos;  omnia haec, quaecumque feret voluntas caelitem, temptare simul parati: pauca nuntiate meae puellae non bona dicta.  cum suis vivat valeatque moechis, quos simul complexa tenet trecentos, null<sup>um</sup> amans vere, sed identid<sup>em</sup> omni<sup>um</sup> ilia rumpens;  nec meum respectet, ut ant<sup>o</sup>, amorem, qu<sup>i</sup> illius culpā cecidit velut prat<sup>i</sup> ultimi flos, praetereunte postquam tactus aratro<sup>o</sup>st.</p>	<p>penetrare = intrare Indi -orum f = populus Indiae Eous -a -um (&lt; Eos, Ἠώς = aurora) : ad solem orientem spectans ut : ubi tundere = pulsare  Hyrcani -orum m = populus secus mare Caspium habitabant Sacae -arum m = populus Schythicus Parthi -orum m = populus qui sub Hyrcania habitabant colorare = colore afficere septem-geminus -a -um  : Caesar circa annum 55 a. Ch. n. trans Alpes bellum gessit visens : visurus Gallicus Rhenus : confinium Germaniae Galliaeque  caeles -itis = caelestis temptare : petere, experiri  moechus -i m = vir quem femina amat praeter maritum suum ilia -ium n pl = imus venter ilia rumpere : adigere ad furorem  re-spectare : respicere, curare pratium -i n = arca herba operta</p>
--	---



Horatius ad Thaliarchum

(Od. II. 9.)

Metrum: Stropha Alcaica

<p>Vidēs ut altā stet nive candidum Sōracte, nec iam sustineant onus silvae labōrantēs, gelūque flūmina constiterint acūtō?</p>	<p>: Vides ut (= quam) stet (: sit) candidum alta nive Soracte Sōracte -is n = mons in Etrūriā silvae labōrantēs : quae nivem vix tolerant gelū -ūs n = frigus maximum acutus -a -um : fortis, penetrans</p>
<p>Dissolve frīgus ligna super focō largē repōnēs atque benignius dēprōme quadrimum Sabīnā, ō Thaliarche, merum diōtā.</p>	<p>dis-solvere : pellere super focō = super focum dē-prōmere : dēprōme merum quadrimum ex diōtā Sabina quadrimum -a -um = quattuor annōrum diōta -ae f = vās e quō vinum in pōcula effunditur Thaliarchus -i m</p>
<p>Permitte dīvīs cētera, quī simul strāvēre ventōs aequare fervidō dēproeliantēs, nec cupressī nec veterēs agitantur ornī.</p>	<p>per-mittere : committere cētera : quae ad mortales nōn pertinent : qui simul ac straverunt ventos deproeliantes cum aequare fervido, nec iam cupressi, nec veteres ornī agitantur sterner ventos : sēdāre, tranquillōs facere dē-proeliant -ātum esse (&lt; proelium) = inter sē pugnare fervidus -a -um (&lt; fervēre) : turbidus cupressus -i f : genus arboris ornus -i f : genus arboris</p>
<p>Quid sit futurum crās fuge quaerere et quem Fors diērum cumque dabit lucrō appōne, nec dulcēs amōrēs sperne puer neque tū chorēās,</p>	<p>fuge quaerere = nōlī quaerere Fors -tis f = fātum quem diērum cumque = quemcumque (= omnem) diem lucrō appōne = prō lucrō habē, fruerē puer : dum puer es chorēa -ae f = grex saltantium</p>
<p>dōnec virentī cānitīēs abest mōrōsa. Nunc et Campus et āreae lēnēsque sub noctem susurrī compositā repetantur hōrā,</p>	<p>virēre -uisse = in flōre esse, iuvenis esse tibi virentī cānitīēs -ēi f = capilli albi mōrōsus -a -um ↔ iūcundus : Nunc (: dum iuvenis es) et campus et āreae repetantur (: frequententur) lēnēsque susurrī sub noctem, hora composita repetantur (: iterentur). ārea -ae f = locus pūblicus in urbe, quo iuvenes con- veniēbant lēnis -e = mollis, placidus sub noctem = vesperi, ante quam nox fiat susurrus -i m = verba quae vix auditur compositā hōrā = tempore constitūtō</p>
<p>nunc et latentis prōditor intīmō grātus puellae rīsus ab angulō pignusque dēreptum lacertīs aut digitō male pertinācī.</p>	<p>: Nunc et latentis puellae proditor et gratus risus ab intimo angulo repetatur (: iteretur), repetaturque (: postuletur- que) pignus lacertis aut digito male pertinaci dereptum. prōditor -ōris m &lt; prōdere proditor risus : qui puellam latentem puero notam facit angulus -i m = spatium duobus muris conclusum intimus -a -um (&lt; intus) = occultus pignus (amōris) : armilla aut ānulus dē-ripere -uisse -ptum = dētrahere pertināx -ācis = repugnāns, retinēns digito male pertinācī : in quo digito puella ānulum retinēre simulat, neque vērē vult</p>



Horatii carmen I, 15.  
De Paride qui patriam amore nefasto perditurus est

Cum notis ad capitulum XL Romae Aeternae

Metrum: Stropha Asclepiadea II

<p>Pastor cum traheret per freta navibus Idaeis Helenam perfidus hospitam, ingrato celeres obruit otio ventos ut caneret fera</p> <p>Nereus fata. „Mala ducis avi domum quam multo repetet Graecia milite coniurata tuas rumpere nuptias et regnum Priami vetus.</p> <p>Heu heu, quantus equis, quantus adest viris sudor, quanta moves funera Dardanae genti. Iam galeam Pallas et aegida currusqu<sup>e</sup> et rabiem parat.</p>	<p>Pastor : Paris (qui adhuc infans a patre in monte Ida expositus est, postea vero inter pastores educatus est) Idaeus -a -um = qui ex monte Ida (apud Troiam sito) venit per-fidus -a -um = qui fidem fallit hospes -itis <i>m</i>   hospita -ae <i>f</i>    otium -ii <i>n</i> : pausa ob-ruere -uisse -utum = operire    in-gratus ↔ gratus Nereus -eos <i>m</i> = deus marium Nereus celeres ventos obruit ingrato otio : N. celeres ventos retinuit in otio (quod ventis semper currentibus ingratum erat) avi <i>obl</i> &lt; avis -is    mala avi : malā fortunā re-petere : iterum postulare multo milite <i>sg</i> = multis militibus <i>pl</i> coniurare -visse -atum = inter se (clam) societatem iungere ad magnum aliquid faciendum nuptiae -arum <i>f pl</i> : matrimonium coniurata rumpere nuptias = coniurata ad rumpendas nuptias    Priamus -i <i>m</i> = rex Troiae sudor -oris <i>m</i> = aqua quae e corpore fatigato exit Dardanus -a -um = Troianus Pallas -adis <i>f</i> = Minerva aegis -dis <i>f</i> = scutum Minervae</p>
<p>Nequiquam Veneris praesidio ferox pectes caesariem grataque feminis imbelli citharā carmina divides, nequiquam thalamo graves</p> <p>hastas et calami spicula Cnosii vitabis strepitumqu<sup>e</sup> et celerem sequi Aiacem: tamen heu serus adulteros crines pulvere collines.</p>	<p>praesidium -i <i>n</i> = tutela, auxilium ferox -ocis : superbus pectere pexi pexum = capillos ordine componere caesaries -ei <i>f</i> = capillus, coma im-bellis -e ↔ bellicosus carmina dividere = canere gravis : timendus, periculosus : nequiquam, Veneris praesidio, ferox eris, capillum tuum pectes et carmina feminis grata canes calamus : sagitta    spiculum -i <i>n</i> = extrema sagitta acuta Cnosius -a -um &lt; Cnossus, urbs Minois calamus Cnosius : optimum sagittarum genus : nequiquam, thalamo <i>recumbens</i>, vitabis hastas, sagittas strepitumque, et nequiquam vitabis sequi Aiace adulterus -a -um = qui fidem matrimonii fallit crinis -is <i>m</i> = capillus pulvis -eris <i>m</i> = terra levissima col-linere -levi -litum = operire materia molli (pulvere) : nam tandem capillos tuos pulvere collines <i>cadens mortuus</i></p>
<p>Non Laertiaden, exitium tuae genti, non Pylum Nestora respicis? Urgent inpavidi te Salaminius Teucer, te Sthenelus sciens</p>	<p>Laertiades -is <i>m</i> = Ulixes    exitium -i <i>n</i> = mors, finis : Laertiaden, qui erit exitium tuae gentis Pylus -a -um = qui ab urbe Pylo (Pylos -i <i>f</i>) venit Nestor -is <i>m</i> (-a <i>acc</i>) urgere ursisse = premere    im-pavidus ↔ pavidus Salaminius -a -um &lt; Salamina -ae, insula sita prope Athenas    Teucer -ri <i>m</i> = frater Aiakis Sthenelus -i <i>m</i> sciens pugnae : fortis miles</p>

<p>pugnae, siv<sup>o</sup> opus est imperitar<sup>e</sup> equis, non auriga piger. Merionen quoque nosces. Ecce furit te reperir<sup>o</sup> atrox Tydides melior patre:  quem tu, cervus uti vallis in altera visum parte lupum graminis immemor, sublimi fugies mollis anhelitu, non hoc pollicitus tuae.  Iracunda diem proferet Ilio matronisque Phrygum classis Achillei: post certas hiemes uret Achaicus ignis Iliacas domos.”</p>	<p>imperitare -avisse -atum = imperare auriga -ac <i>m</i> = qui currum gubernat Meriones -is <i>m</i> = Diomedis auriga furere = amēns / saevus esse atrox -ōcis <i>adi</i> = crudēlis Tydides -is <i>m</i> = Diomedes melior (: fortior) quam pater eius uti = ut, sicut gramen -inis <i>n</i> = herba im-memor + <i>gen.</i> = oblitus sublimis -e = altus anhelitus -us <i>m</i> = anima aegre ducta mollis, sublimi anhelitu : os ad caelum tendens et animam vix ducens    uxori tuae : Helenae, cui se fortem esse dicebat  iracundus -a -um = qui facile irāscitur Phryges -um <i>m pl</i> = Troiani Achaicus -a -um = Graecus urere ussisse ustum Iliacus -a -um (&lt; Ilium) = Troians : <i>quamquam</i> iracunda classis Achillei proferret <i>in tempus</i> <i>posterum</i> diem <i>supremam</i> Ilio et matronis Phrygibus, <i>tamen</i> post certas hiemes (: certum numerum annorum), ignis Achaicus uret domos Iliacas</p>
---	--

QVINTVS HORATIVS FLACCVS  
Dedicatio fontis Bandusiae nymphae  
(Od. III. 13.)

RAe 38

Horatius fontem qui in praedio suo Sabino oritur, per festa Fontanalia Bandusiae nymphae dedicat.  
Metrum: Stropha Asclepiadea III

<p>O fons Bandusiae, splendidior vitro, dulci digne mero non sine floribus, cras donaberis haedo, cui frons turgida cornibus</p> <p>primis et Vener<sup>em</sup> et proelia destinat: frustra, nam gelidos inficiet tibi rubro sanguine rivos lascivi suboles gregis.</p> <p>Te flagrantis atrox hora Caniculae nescit tangere, tu frigus amabile fessis vomere tauris praebes et pecori vago.</p> <p>Fies nobilium tu quoque fontium me dicente cavis inposit<sup>um</sup> ilicem saxis, unde loquaces lymphae desiliunt tuae.</p>	<p>Bandusia -ae f = nympa, cui fons dedicatur vitrum -i n = materia dura per quam penetrat lux (v. imaginem in ima pagina) donare aliquem re aliqua = donare aliquid alicui donaberis haedo : tibi donabitur (: immolabitur) haedus haedus -i m = parvus caper (IMAGO)</p> <p>prima cornua : nascentia cornua Venus -eris f : amor destinare : paratum facere   destinare alicui aliquid = destinare aliquem alicui rei gelidus -a -um = frigidissimus in-ficere -fecisse -fectum = colore afficere tibi : fonti    rivos : aquas lascivus -a -um = laetus, iocosus suboles -is f = filius/filia</p> <p>atrox -cis adj = saevus    hora : tempus Canicula -ae f (= Sirius) : stella, qua oriente (fine Iulii mensis) maximi calores fiunt (itaque dicitur flagrans) (IMAGO) te nescit (: non potest) tangere : te calore non afficit neque siccatur amabilis -e (&lt; amare) = gratus vomere -eris m = pars aratri (IMAGO) fessus vomere : fessus arando vagus -a -um = errans</p> <p>fies tu quoque nobilium fontium : tu quoque fies unus ex nobilibus fontibus dicere : canere cavus -a -um = cuius media pars vacua est cava saxa : antrum, ex quo fons oritur ilex -icis f : genus arboris (IMAGO) loquax -acis = qui multum loquitur lympa -ae f = aqua</p>
---	---

poculum ex vitro factum →



QVINTVS HORĀTIVS FLACCVS  
Altercātiō cum Lȳdiā  
(Carm. III. 9.)

*Hoc in carmine Horatius et Lydia, quae olim amica eius fuerat, primum beata tempora recordantur, quibus adhuc inter se amabant, deinde certant uter meliorem amantem invenerit, tandem inter se rursus amorem restituant.*

*Cum notis ad capitulum XXXIX*

*Metrum: Strophā Asclepiadea IV*

<p>Hor. Dōnec grātus eram tibi nec quisquam potior bracchia candidae cervicī iuvenis dabat, Persārum viguī rēge beātior.</p>	<p>potior (&lt; potis) : melior cervix -icis f = colli pars posterior : nec quisquam iuvenis potior dabat bracchia cervici tuae candidae Persae -arum m = gens Asiae, cuius reges divitissimi erant vigere -guisse = valere</p>
<p>Lȳd. "Dōnec nōn aliā magis ārsistī nequ<sup>e</sup> erat Lȳdia post Chloēn, multī Lȳdia nōminis, Rōmānā viguī clārior Īliā."</p>	<p>ardere aliā puellā : aliam puellam valde amare ego Lydia multorum nominum vigui : quam tu, puellam amatam, saepe et multis nominibus vocabas Romana Illa = Rhea Silvia, mater Romuli Remique inter omnes clarissima</p>
<p>Hor. "Mē nunc Thressa Chloē regit, dulcēs docta modōs et citharae sciēns; prō quā nōn metuam morī, sī parcent animae fāta superstitū."</p>	<p>Thressus -a -um = qui ex Thracia venit    Chloe -es f modi musici = soni dulces arte editi docta (pass) dulces modos : quam docuerunt (act) dulces modos cithara -ae f = fidēs superstes -titis = qui superest si fata parcent animae superstiti : si mea morte fata Chloe superstiti parcent</p>
<p>Lȳd. "Mē torret face mūtūā Thūrīnī Calais, filius Ornyti; prō quō bis patiar morī, sī parcent puerō fāta superstitū."</p>	<p>fax -cis f : baculum ardens, quod in nuptiis quoque ferebatur, itaque amoris signum erat (fax nuptialis) mutuus -a -um = communis : Calais, filius Ornyti Thurini, me face mutua (: amore mutuo) torret Calais -is m    Ornytus -i m Thurinus -a -um = ex Thuria, urbe prope Tarentum sita</p>
<p>Hor. "Quid sī prisca redit Venus dīductōsque iugō cōgit aēneō; sī flāv<sup>a</sup> excutitur Chloē rēiectaeque patet iānua Lȳdiae?"</p>	<p>priscus -a -um = antiquus    p. Venus : antiquus amor (inter Horatium et Lydiam) di-ducere -duxisse -ductum = dividere iugum -i = instrumentum quo duae bestiae ad laborem communem coniuguntur, itaque vitae mariti et uxoris signum aeneus -a -um = aereus, ex aere factus flavus -a -um : qui habet capillos aurei coloris ex-cutere -cussisse -cussum = expellere re-icere -iecisse -lectum = expellere sidus -eris n = stella</p>
<p>Lȳd. "Quamquam sīdere pulchrior ill<sup>e</sup> est, tū levior cortic<sup>e</sup> et improbō īrācundior Hadriā; tēcūm vīver<sup>e</sup> amem, tēc<sup>um</sup> obeam lubēns."</p>	<p>cortex -cis m = arboris extrema pars (quae adeo levis est, ut in aqua non mergatur) iracundus -a -um = qui facile ira turbatur Hadria -ae m = mare inter Italiam et Epirum Hadria improbus : in quo multae tempestates exoriuntur ob-ire mortem : mori lubens (= libens) : libenter</p>

QVINTVS HORĀTIVS FLACCVS  
Ad Leuconoe  
(Od. I. II.)


Horatius in villa maritima, prope montem Vesuvium cum Leuconoe, amica sua convivium agit. Foris acerrimi venti fluctus Tyrrheni maris ad caelum tollunt, qui oppositis scopulis identidem franguntur debilesque rursus de litore defluunt. Mensis Decembris est, qui etiam si horrenda frigora mortalibus afferre solet, Horatio tamen laetandi quoque occasionem praebet. Hodie enim, qui dies huius mensis octavus est, quadragesimus vertitur annus, quo poeta noster natus est!

Aliqua tamen de causa convivium hoc anno non ita laetum est. Leuconoe, quae vix dissimulare potest tristitiam, iam diu tacita per fenestram ad mare spectat. Tandem interrogata a Horatio 'quare sit ita tristis', in lacrimas erumpens respondet 'se sortilegam de amici fato interrogavisse, quae per numeros quosdam arcanos Horatium eo ipso anno morituro esse praedixerit'. Poeta autem his dictis minime turbatus, puellam sic admonet:

„[1] O Leuconoe, tu ne quaesiveris (nefas enim est hoc scire!) quem finem, quae fata mihi vel tibi di dederint, neve temptaveris oracula vel numeros Babylonios; nam melius est, quidquid futurum est, patienter ferre. Sive plures hiemes, sive hanc ultimam Iuppiter nobis tribuit, [2] quae hiems nunc oppositis saxis mare Tyrrhenum debilitat... Esto sapiens, vinum purum in pocula effunde, et spem longam, quam tibi de rebus futuris fecisti, ad breve temporis spatium reseca. Ecce, corculum: dum loquimur, iam fugerit aetas, quae nobis longam invidet vitam! Itaque carpe diem – velut rosam, quae mane aperta iam vespere moritur – et quam minimum crede tempori postero!”

Ad capitulum XLIV RAE

Metrum: Stropha Asclepiadia V

<p>Tu ne quaesieris (scire nefas!) quem mihi, quem tibi finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios temptaris numeros; ut melius, quidquid erit, pati. Seu plures hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,</p> <p>quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare Tyrrhenum: sapias, vina liques, et spatio brevi spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida aetas: carpe diem quam minimum credula postero.</p>	<p>nē quaesieris (= quaesiveris) : nōllī quaerere temptāris = temptāveris Leuconoe -ēs f = nōmen puellae Babylōnī numerī : numerī quī indicant stellārum motus ex quibus fāta hominum intellegi possint; astrolōgia ut melius : nam melius : seu plūrēs hiemēs Iuppiter tribuet seu hanc tribuit nōbīs ultimam</p> <p>oppositus -a -um &lt; oppōnere debilitāre -āvisse -ātum = debilem facere ↔ firmāre pumex -icis m : saxum cavum in orā maritimā pumicēs oppōnuntur undīs liquāre -āvisse -ātum = purgāre re-secāre -cuisse -ctum = secāre fugerit : fugiet invidus -a -um &lt; invidēre minimum = minimē credulus -a -um (&lt; crēdere) = quī ceteris nimis confidit</p> 
--	---

The image shows a musical score for a Latin hymn. It consists of eight staves of music, each with a line of Latin lyrics underneath. Above the notes, various guitar chords are indicated in capital letters. The chords include (C), F, Am, Dm, Gm, Bb, and C. The lyrics are: "Tu ne quae-si-e-ris, sci-re ne-fas, quem mi-hi, quem ti-bi fi-nem di de-de-rint, Leu-co-no-e, nec Ba-by-lo-ni-os temp-ta-ris nu-me-ros: ut me-li-us quid- quid e-rit pa-ti; seu plu-res hi-e-mes, seu tri-bu-it lup-pli-ter ul-ti-mam quae nunc op-po-si-tis de-bi-li-tat pu-mi-ci-bus ma-re Tyr-rhe-num sa-pli-as, vi-na li-ques et spa-ti-o bre-vi spem lon-gam re-se-res. Dum lo-qui-mur, fu-ge-rit in-vi-da ae-tas, car-pe-di-em, quam mi-ni-mum cre-du-la pos-te-ro; er-go car-pe-di-em, quam mi-ni-mum cre-du-la pos-te-ro."

CĀIVS VALERIVS CĀTVLLVS

VĪVĀMVS

(Carmen V.)

Vivāmus, mea Lesbi<sup>a</sup>, atqu<sup>e</sup> amēm<sup>us</sup>,  
rūmōrēsque senum sevēriōrum  
omnēs ūnīus aestimēm<sup>us</sup> assis,  
*[omnēs ūnīus aestimēm<sup>us</sup> assis!]*

Sōlēs occider<sup>e</sup> et redīre possunt:  
nōbīs, cum semel occidit brevis lūx,  
nox est perpetu<sup>a</sup> ūna dormienda,  
*[nox est perpetu<sup>a</sup> ūna dormienda.]*

Dā mī bāsia mille, deinde centum,  
dein mill<sup>e</sup> altera, dein secunda centum,  
deind<sup>e</sup> ūsqu<sup>e</sup> altera mille, deinde centum,  
*[deind<sup>e</sup> ūsqu<sup>e</sup> altera mille, deinde centum!]*

Dein, cum mīlia multa fēcerīmus,  
conturbābīmus illa, nē sciāmus,  
aut nē quis malus invidēre possit,  
cum tantum sciat esse bāsīōrum.



CÁIVS VALERIVS CÁTULLVS

LŪGĒTE  
(Carmen III.)

Lūgētē, ō Venerēs Cupīdinēsque,  
et quantum est hominum venustiōrum!  
Passer mortuus est meae puellae,  
passer, dēliciae meae puellae,  
quem plūs ill<sup>a</sup> oculīs suīs amābat...

*[...quem plūs ill<sup>a</sup> oculīs suīs amābat,]*  
nam mellītus erat suamque nōrat  
ipsam tam bene quam puella mātrem,  
nec sēs<sup>e</sup> ā gremiō illius movēbat,  
sed circumsiliēns mod<sup>o</sup> hūc mod<sup>o</sup> illūc  
ad sōlam domin<sup>am</sup> ūsque pīpiābat.

Quī nunc it per iter tenebricōsum,  
illūc unde negant redīre quemquam.  
*[Quī nunc it per iter tenebricōsum,  
illūc unde negant redīre quemquam,  
illūc unde negant redīre quemquam.]*

At vōbīs male sit, malae tenebrae  
Orcī, qu<sup>ae</sup> omnia bella dēvorātis:  
tam bellum mihi passer<sup>em</sup> abstulistis!  
Ō factum male! Ō miselle passer!  
Tuā nunc operā meae puellae  
flendō turgidulī rubent ocellī!

**XXXIV. Catulli carmen Dianae**

Dianae sumus in fide  
puellae et pueri integri:  
Dianam pueri integri  
puellaeque canamus.

o Latonia, maximi  
magna progenies Iovis,  
quam mater prope Deliam  
deposiuit olivam,

montium domina ut fores  
silvarumque virentium  
saltuumque reconditorum  
anniumque sonantum:

tu Lucina dolentibus  
Iuno dicta puerperis,  
tu potens Trivia et notho es  
dicta lumine Luna.

tu cursu, dea, menstruo  
metiens iter annum,  
rustica agricolae bonis  
tectis frugibus explens.

sis quocumque tibi placet  
sancta nomine, Romulique,  
antique ut solita es, bona  
sospites ope gentem.

LIBER I

<p>I, 1-43</p> <p>Aeneadum genetrīx, hominum dīvumque voluptās, alma Venus, caelī subter lābentia signa quae mare nāvigerum, quae terrās frūgiferentēs concelebrās, per tē quoniam genus omne animantum 5 concipitur vīsique, exortum, lūmina sōlis: tē, dea, tē fugiunt ventī, tē nūbila caelī adventumque tuum, tibi suāvēs daedala tellūs summittit flōrēs, tibi rīdent aequora pontī plācātumque nitet diffūsō lūmine caelum.</p> <p>10 Nam simul ac speciēs patefactast vērna diēi et reserāta viget genitābilis aura Favōnī, aēriae p̄imum volucrēs tē, dīva, tuumque significant inītum percussae corda tuā vī. Inde ferae, pecudēs persultant pābula laeta 15 et rapidōs trānant amnēs: ita capta lepōre tē sequitur cupidē quō quamque indūcere pergis. Dēnique per maria ac montēs fluviōsque rapācēs frondiferāsque domōs avium campōsque virentēs omnibus incutiēns blandum per pectora amōrem 20 efficis ut cupidē generātīm saccula propāgent.</p>	<p>dīvus -i m = deus   (-um = ūrum) quae, subter lābentia signa caelī (: sub stēllis et astris quae in caelō volvuntur), con-celebrās mare nāvigerum, quae con- celebrās terrās frūgiferentēs subter prep (+ acc) ↔ super nāviger -era -erum = in quō nāvēs ferri possunt frūgi-ferēs -entis = quī frūgēs fert, fertilis con-celebrāre = vitā (: animālibus) implēre per tē quoniam : quoniam per tē animantum = animantium vīsī : videt exortum : postquam genitum est</p> <p>suāvēs flōrēs daedalus -a -um = artifex</p> <p>sub-mittit : pōnit sub pedibus aequora pontī : summum mare caelum plācātum nitēre -uisse = splendēre, lucēre dif-fūsus -a -um &lt; dif-fundere = spargere speciēs vērna patefactast = patefacta est reserāre = aperire (aura Favōnī reserāta : a. F. liberāta) genitābilis -e : quī gignere potest aērius -a -um (&lt; aēr) ↔ terrestrius tuum inītum corda : in cordibus significant : nūntiant inītus -ūs m ↔ exītus ferae et pecudēs   persultāre &lt; per + saltāre   persultant pābula : saliant passim per pābula pābulum -ī n = campus cuius herbā pascuntur pecudēs laeta : fertilia trā-nāre &lt; trāns + nāre quōcumque pergis indūcere quamque feram, illūc ea tē se- quitur cupidē rapāx -ācis (&lt; rapere) : rapidus</p> <p>frondi-fer -era -erum = quī frondēs fert; f. domōs avium : silvās virēre -uisse = florēre, herbā oper- tus esse incutere -io = inicere blandum amōrem generātīm = secundum genera saccula : stirpem, prolem</p>
--	---

PUBLIVS OVIDIVS NASO  
Tristia I. 3; 1 – 24.

Ad capitulum XXXVII RAe

Metrum: Distichon elegiacum

Cum subit illius tristissima noctis imāgō,  
quae mihi suprēmum tempus in Urbē fuit;  
cum repetō noctem, quā tot mihi cāra reliquī,  
lābitur ex oculis nunc quōque gutta meīs.

Iam prope lūx aderat, quā mē discēdere Caesar  
fīnibus extrēmae iusserat Ausoniae.

Nec spatium nec mēns fuerat satis apta parantī:  
torpuerant longā pectora nostra morā.

Nōn mihi servōrum, comitis nōn cūra legendī,  
nōn aptae profugō vestis opisve fuit.

Nōn aliter stupuī, quam quī Iovis ignibus ictus  
vīvit et est vītāe nescius ipse suae.

Ut tamen hanc animō nūbem dolor ipse remōvit,  
et tandem sensūs convaluere meī,  
alloquor extrēmum maestōs abitūrus amicōs,  
quī modō dē multīs ūnus et alter erat.

Uxor amāns flēntem flēns ācrius ipsa tenēbat,  
imbre per indignās ūsque cadente genās.

Nāta procul Libycīs aberat dīversa sub ōris,  
nec poterat fāfī certior esse meī.

Quōcumquē aspicerēs, lūctus gemitusque sonābant,  
formaque nōn tacitī fūneris intus erat.

Fēmina virque, meō puerī quōque fūnere maerent,  
inque domō lacrimās angulus omnis habet.

: cum subit (= venit in mentem) tristissima imago illius noctis, quae...

: in Urbē Romā

: repeto noctem mente, memoriā

cara n pl : res caras

: nunc quoque gutta (: lacrima) ex oculis meis labitur || gutta -ae f

lux : dies || Ausonia -ae f = Italia || Caesar : Octavianus Augustus

extremus -a -um sup < extra

: spatium temporis

: mihi parantī me

aptus -a -um = conveniens | torpescere -uisse = moveri non iam posse

pectora nostra : pectus meum (: animus meus)

: mihi profugo non fuit cura legendi (= eligendi) servos, comitem,

aptam vestem vel opem (= auxilium)

: quam ille qui

Iovis ignes : fulmina

nescius -a -um = nesciens

: ut primum tamen dolor hanc nubem ab animo stupentī re-movit et

tandem sensus mei convaluerunt

con-valescere -uisse = validus fieri

extremum adv = postremum

: ego abiturus extremum alloquor maestos amicos, qui...

: uxor amans ipsa flens acrius (= fortius) tenebat (= amplectebatur)

me flentem

nata : filia

Lybicus -a -um < Lybia || di-versa : versans procul

certior esse fati mei : cognoscere fatum meum


quo-cumque = in quemcumque locum; in locum quem vis

funus -eris n : inter funus corpus mortui hominis uritur aut sub terra

ponitur || forma erat funeris : videbatur funus


intus : in interiore domo

angulus -i m →




Musical notation for the Latin text, showing the melody and accompaniment. The text is written in Latin and the music is in a simple, accessible style. The lyrics are: CUM SU-BIT IL-LI-US TRIS-TIS-SI-MA NOC-TIS I-MA-GO QUAE MI-HI SU-PRE-MUM TEM-PUS IN-UR-BE FU-IT CUM RE-PE-TO NOC-TEM QUA TOT MI-HI CA-RA RE-LI-QUI LA-BI-TUR EX O-CU-LIS NUNC QUO-CUE GUT-TA ME-IS

Tibullus adversus bella  
Loci decerpti ex I libri elegia X



Metrum: Distichon elegiacum

<p>Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses? Quam ferus et vere ferreus ille fuit! Tum caedes hominum generi, tum proelia nata, Tum brevior dirae mortis aperta via <sup>o</sup>st.</p>	<p>ensis -is <i>m</i> = gladius horrendus -a -um = terribilis genus hominum = cuncti homines : proelia nata <i>sunt</i> dirus -a -um = terribilis : brevior via ad diram mortem aperta est</p>
<p>An nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra 5 Vertimus, in saevas quod dedit ille feras? Divitis hoc vitium <sup>o</sup>st auri, nec bella fuerunt, Faginus adstabat cum scyphus ante dapes. Non arces, non vallus erat, somnumque petebat Securus sparsas dux gregis inter oves. 10</p>	<p>vitium -i <i>n</i> ↔ virtus fagus -i <i>f</i> faginus -a -um = ex ligno fagi factus scyphus -i <i>m</i> = poculum dapes -um <i>f pl</i> = cibus optimus arx -cis <i>f</i> → [vide imaginem in summa pagina] dux gregis : pastor securus -a -um = sine cura, tutus</p>
<p>Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem Arma nec audissem corde micante tubam; Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis Haesur<sup>a</sup> in nostro tela gerit latere.</p>	<p>: <i>utinam</i> tunc mihi vita foret (= esset) vulgus -i <i>n</i> = populus, plebs nossem = novissem   audissem = audivissem micare : subito moveri cor micat : celeriter palpat propter timorem    tuba -ae <i>f</i> →  forsitan = fortasse haerere haesisse haesum = fixus esse tela -orum <i>n pl</i> = arma</p>
<p>Sed patrii servate Lares: aluistis et idem, 15 Cursarem vestros cum tener ante pedes. [...] Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis Sternat et adversos Marte favente duces, 30</p>	<p>Lar (familiaris) -is <i>m</i> = deus qui domum et familiam tuetur alere aluisse altum cursare &lt; currere tener -a -um = mollis et debilis favere favisse fautum = bene velle Marte favente : fortunā belli secundā</p>
<p>Ut mihi potanti possit sua dicere facta Miles et in mensa pingere castra mero. Quis furor est atram bellis arcessere mortem? Imminet et tacito clam venit illa pede.</p>	<p>pingere pinxisse pictum = colore operire furor -is <i>m</i> = insania im-minere = im-pendere clam <i>adv</i> = occulte illa : mors</p>

Dm A7  
Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?  
Dm  
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!  
F Gm Dm  
Tum caedes hominum generi, tum proelia nata,  
Gm Dm Am Dm  
Tum brevior dirae mortis aperta via <sup>o</sup>st.

QVINTVS HORĀTIVS FLACCVS

Ad Torquātum

(Carm. IV. 7.)

– Post capitulum 43. RAE

Metrum: Strophæ Archilochea I

<p>Diffūgēre nivēs, redeunt iam grāmina campīs arboribusque comae; mūtāt terra vicēs, et dēcrescentia rīpās flūmina praetereunt.</p>	<p>diff-fugere -isse = evanescere, recedere    diffugerunt gramen -inis n = herba    coma -ae f: arboris folia, frons vices (nom/acc pl) = condicio quae mutatur et in orbem redit (sicut quattuor anni tempora) mutat terra vices : t. colorem formamque mutat de-crescere -evisse -ctum (↔ crescere) = minui flumina ripas praetereunt : flumina (: quae extra ripas fluebant) eas praetereunt et inter eas denuo fluunt</p>
<p>Grātia cum Nymphīs geminisque sorōribus audet dūcere nūda chorōs. „Immortālia nē spērēs”, monet annus et almus quae rapit hōra diem.</p>	<p>Gratiae -arum f = tres sorores divinae, Veneris comites chorus -i m = grex saltantium ducere choros : gregem saltantium ducere almus -a -um (&lt; alere) = gratus, clarus hora rapit diem : celere tempus diem consumit</p>
<p>Frīgora mītescunt Zephyrīs, vēr prōterit aestās interitūra, simul pōmifer autumnus frūgēs effūderit, et mox brūma recurrit iners.</p>	<p>mitescere (&lt; mitis) = mitior fieri Zephyrus -i m = nomen venti qui ab occidente flat pro-terere -trivisse -tritum = pedibus pulsando perdere interire -ivisse -itum = perire simul atque pomifer -a -um (&lt; pomum + ferre) = qui fruges fert (pomum -i n = poma sunt mala, pira etc.) bruma -ae f = dies anni brevissimus (a. d. VIII Kal. Iān.); hiems re-currere -currisse = redire iners -ertis = piger</p>
<p>Damna tamen celerēs reparant caelestia lūnae; nōs ubi dēcidimus, quō pater Aenēās, quō dīves Tullus et Ancus... Pulvis et umbra sumus!</p>	<p>damnum : orbis lunae deficiens re-parare -avisse -atum = reficere celeris lunae damna reparant : luna, postquam defecit, celeriter suum orbem iterum complet ubi : cum, postquam de-cidere -cidisse : descendere decidimus eo quo Tullus Hostilius, Ancus Martius = reges Romani</p>
<p>Quis scit an adiciant hodiernae crastina summae tempora dī superī? Cuncta manūs avidās fugient hērēdis, amīcō quae dederīs animō.</p>	<p>summa -ae f = totus (universus) numerus hodierna summa : numerus dierum quos usque ad hodiernum diem complevimus crastinus -a -um &lt; cras crastina tempora : cras, dies crastinus fugere aliquem = fugere ab aliquo heres -edis m = is cui res viri mortui traduntur avidus -a -um = valde cupidus manus avidas heredis fugient : heredi avaro non dabuntur amicus animus = suus proprius animus</p>
<p>Cum semel occīderis et dē tē splendida Mīnos fēcerit arbitria, nōn, Torquāte, genus, nōn tē fācundia, nōn tē restituēt pietās.</p>	<p>Mīnos -ois m : rex Cretae (avus Minois illius qui labyrinthum aedificandum curavit), iudex apud inferos splendidus -a -um = clarus, magnificus arbitrium -ii n = iudicium arbitria facere : iudicare Manlius Torquatus = clarus orator e nobili gente facundia -ae f = facultas bene loquendi re-stituere : in vitam reddere</p>
<p>Inferīs nequ<sup>e</sup> enim tenebrīs Dīāna pudicum līberat Hippolytum, nēc Lēthaea valet Thēseus abrumpere cārō vincula Pirithōō.</p>	<p>pudicus -a -um = castus Hippolytus -i m = Thesei filius, quem Diana valde diligebat Lethaeus -a -um (&lt; Lethe -es f = fluvius in Inferis) Lethaea vincula : mortis catenae valere : posse ab-rumpere Pirithous -i m = Thesei amicus</p>

F B $\flat$  C7 F C F C

DIF- FLU- GE- RE NI- VES RE- DE- UNT IAM GRA- MI- NA CAM- PIS AR- BO- RI- BUS- QUE CO- MAE

Dm7b9 Am7b9 Dm7b9 C F C Dm7b9

MU- TAT TER- RA VI- CES ET DE- CRES- CEN- TI- A RI- PAS FLU- MI- NA PRAE- TE- RE- UNT

1

*Diffugerunt nives, iamque gramina campis, et comae arboribus redeunt.* – Nives dissolutae sunt, et iam herbae in campis, folia in arboribus iterum apparent.

*Terra vices mutat, et flumina decrescentia praeter ripas eunt.* – Terra (quae hieme nuda fuit et nive candida), nunc colorem formamque mutat, et flumina (quae nivibus dissolutis ripas suas excesserant) iterum inter ripas suas fluunt.

2

*Gratia cum Nymphis et cum geminis sororibus audet nuda ducere choros.* – Gratia una cum Nymphis suisque duabus sororibus geminis frigora non iam veretur, sed audet per campos perque silvas nuda saltare.

*Annus et hora, quae diem alnum rapit, monet ne speres immortalia.* – Annus, et hora, quae celeriter fugit diemque iucundum cito nobis rapit et aufert, monent ne tu, Torquate, qui homo mortalis es, res immortales esse vitamque in aeternum duraturam esse speres.

3

*Frigora Zephyris mitescunt, aestas proterit ver, interitura simul atque autumnus pomifer effuderit fruges; et mox iners bruma recurrit.* – Hiemalia frigora calidis Zephyri ventis solvuntur et mitiora fiunt; aestas pedibus conculcat ver: tamen ipsa quoque perit simul atque frugifer autumnus omnes suos fructus protulerit; et mox iners bruma: hiems, qua omnes et omnia quiescunt, redit.

4

*Celeres tamen lunae reparant caelestia damna.* – Lunae, quae identidem crescunt atque decrescunt, defectus suos, quos in caelo conspicimus, celeriter reparant.

*Nos, ubi primum eo decidimus, quo pater Aeneas, quo dives Tullus et Ancus... pulvis et umbra sumus.* – Nos, contra, cum primum eo descenderimus, quo pater Aeneas, gentis Romanae auctor, quo Tullus Hostilius et Ancus Martius, divitissimi reges quoque descenderant... O! Nihil aliud sumus, nisi umbra et terra levis quae vento spargitur!

5

*Quis scit an di superi hodiernae summae crastina quoque tempora adiciant?* – Quis novit pro certo utrum dei superi dierum summae, quam usque ad hodiernum diem complevimus, crastina quoque tempora addituri sint, necne?

*Ea cuncta, quae amico animo dederis, fugient heredis avidas manus.* – Ea omnia, quae tuo ipsius animo dederis, quibus tu ipse usus et fructus es; ea tantum effugient avidas heredis manus. Cetera bona post mortem non iam tua, sed heredum erunt.

6

*O Torquate, cum semel occideris, et de te Minos fecerit splendida arbitria, non genus, non facundia, non pietas te restituet.* – O Torquate, vir nobilissime et orator eloquentissime, cum tu denique mortuus eris, et apud Inferos Minos, iudex tremendus, de te iudicaverit: quid in vita egeris quidve poenae aut premii post mortem mereas, tum coram hoc iudice, inter hanc causam neque tuum genus nobile, neque tua facundia, neque tua pietas tibi proderunt: certe hae virtutes te ad vivos non iterum restituent.

7

*Neque enim Diana pudicum Hippolytum tenebris infernis liberat.* – Etenim nec Diana, quamquam potens dea est, Hippolytum, quem propter castitatem et pudicitiam eius valde diligebat, ex tenebris inferis liberare potest. *Nec Theseus valet caro Pirithoo vincula Lethaea abrumpere.* – Nec Theseus valet Pirithuum, amicum suum optimum e mortis vinculis liberare.

Caius Valerius Catullus  
Carmen IV

*cum notis ad XXXVII capitulum RAE*

Phasēlus ille, quem vidētis, hospitēs,  
ait fuisse nāvium celerrimum,  
nequ° ūllius natantis impetum trabis  
nequīsse praeterīre, sive palmulīs  
opus foret volāre sive linteō.

Et hoc negat minācis Hadriāticī  
negāre lītus īnsulāsve Cycladās  
Rhodumque nōbil<sup>m</sup> horridamque Thrāciam  
Propontida trucemve Ponticum sinum,  
ub<sup>i</sup> iste post phasēlus antea fuit  
comāta silva: nam Cytōri° in iugō  
loquente saepe sībil<sup>m</sup> ēdidit comā.

Amastri Pontic° et Cytōre buxifer,  
tib<sup>i</sup> haec fuiss° et esse cognitissima  
ait phasēlus; ultim° ex orīgine  
tuō stētisse dicit in cacūmine,  
tu° imbuisse palmulās in aequore,



et inde tot per impotentia freta  
erum tulisse, laeva sive dextera  
vocāret aura, sīv° utrumque Iuppiter  
simul secundus incidisset in pedem;  
nequ° ūlla vōta lītoralibus deīs  
sib<sup>i</sup> esse facta, cum venīret ā marī  
novissim° hunc ad ūsque limpidum lacum.

Sed haec prius fuēre: nunc reconditā  
senet quiēte sēque dēdicat tibi,  
gemelle Castor et gemelle Castoris.

*Metrum: iambicus trimeter purus*

phaselus -i m = navicula  
: ait se fuisse navium celerrimum  
impetus : vis || trabis : navis  
nequeo -ivisse = non possum || nequisse = nequissime  
palmula -ae f = remus  
foret : esset || linteum -i n = velum || volare : celeriter progredi

phaselus negat hoc (: se celerrimum fuisse) litus maris Hadriatici vel insulas Cycladas (et alias regiones quas navigando viserat) negare posse

minax -cis adi < minari || Cyclades -um f || Rhodus -i f || Thracia -ae f  
horridus -a -um = horrendus || Propontis (acc -ida) -idis f  
trux -cis = ferox || Ponticus -a -um < Pontus -i m  
: ubi iste, qui postea phaselus futurus erat, antea fuit silva comata  
coma -ae f = frondes arboris || comatus -a -um < coma  
Cytorius -a -um < Cytorus -i m : mons in Paphlagonia (in Asia Minore)  
montis lugum -i n : summus mons longus  
sibilus -i m : sonus quem arbores vento agitatae edunt

Amastris (voc. -i) -idis f : urbs in Paphlagonia

←buxus -i f : genus arboris parvae || buxifer -a -um : ubi buxus crescit  
cognitus -a -um = notus

ultima ex origine : prima origine (cum navis adhuc arbor erat)

imbuerē -uisse -utum = umidum facere

: phaselus dicit tibi, o Amastri, et tibi, o Cytore, haec esse cognitissima;  
nam dicit se stētisse in tuo cacūmine, o Cytore, et in tuo aequore  
palmulas imbuisse

im-potens -entis ↔ potēns (: qui se regere non potest; ferus)

freta -orum n pl = mare || erus : Catullus || aura vocat : flat

malus -i m = arbor in media navi (unde vela pendent)

pes : pars infima mali || uterque pes : navis, quae duos malos habet

: et phaselus ait inde, per impotentia freta (: turbida maria), se erum  
tulisse sive laeva, sive dextera aura vocaret (: flaret), sive Iuppiter (:  
ventus) secundus incidisset (< in + cadere) simul in utrumque pedem

vōtum -i n = quod deis promittitur

lītoralis -e adi < litus || litorales dei : dei quibus nautae in periculo  
versantes vota suscipiunt ut a morte serventur

: phaselus ait nullā vota litoralibus deis sibi (: a se) esse facta (: se  
numquam in periculo fuisse)

novissimē adv = nuper || limpidus -a -um = purus


lacus limpidus : lacus Benacus (Benacus -i f), ubi Catullus domum  
habebat, et quo phaselum tulit

fuere = fuerunt || recondere = depōnere

recondita navis = reconditus phaselus || senēre = senex esse

de-dicare -avisse -atum = sacrare || gemellus -i m = geminus

Castor -oris m = filius Iovis et Ledae || gemelle Castoris : Pollux





Caius Valerius Catullus  
Ad Sirmionem paeninsulam  
(Carmen XXXI)

Paen<sup>o</sup> insulārum, Sirmiō, insulārumque  
ocelle, quāscumqu<sup>e</sup> in liquentibus stagnīs  
marīque vāstō fert uterque Neptūnus;  
quam tē libenter quamque laetus invīsō,  
vix m' ipse crēdens Thŷni<sup>am</sup> atque Bīthŷnos  
liquisse campōs et vidēre t'<sup>o</sup> in tūtō.

Ō quid solūtū est beātius cūrīs,  
cum mēns onus repōnit, ac peregrinō  
labōre fessī vēnimus Lar<sup>em</sup> ad nostrum,  
dēsīderātōqu<sup>e</sup> acquiescimus lectō?  
Hoc est quod ūnum \*st prō labōribus tantīs.  
[Hoc est quod ūnum \*st prō labōribus tantīs].

Salv<sup>e</sup>, ō venusta Sirmi<sup>o</sup>, atqu<sup>e</sup> erō gaudē;  
gaudēte, vōsqu<sup>e</sup>, ō Lŷdiae lacūs undae,  
rīdēte quidquid est domī cachinnōrum.  
[Salv<sup>e</sup>, ō venusta Sirmi<sup>o</sup>, atqu<sup>e</sup> erō gaudē;  
gaudēte, vōsqu<sup>e</sup>, ō Lŷdiae lacūs undae,  
rīdēte quidquid est domī cachinnōrum].

Sirmio -onis *f* = paeninsula apud lacum Dēnācum  
paene insula = paeninsula  
ocellus -i *m* = parvus oculus  
stagnum -i *n* = lacus aquae stantis (= non fluentis)  
liquens = clarus, purus  
uterque Neptunus : deus aquarum salutarum dulciumque  
mi = mihi  
Thŷnia -ae *f* = pars Bīthŷniae, provinciae in Asia  
Bīthŷnus -a -um  
linquere liquisse lictum = relinquere  
me reliquisse

onus -cris *n* = quod portatur  
peregrinus -a -um = qui iter facit extra suam patriam  
Lar (familiaris) -is *m* = deus qui domum et familiam tuetur  
ad Larem nostrum : ad domum nostram

ac-quiescere -evisse = (< ad + quiescere) = quietus fieri  
hoc unum : domum redire et acquiescere

Lŷdia -ae *f* = regio in Italia quo Etrusci ex Asia Anteriore  
venerunt  
cachinnus -i *m* = risus parvus

# Ad Sirmionem paeninsulam

Catullus

Carmen XXXI

Tyrtarion

Em (1) D Em

Voice

Paen-in - su-la - rum, Sir - mi<sup>o</sup>, in - su-la - rum - que o - cel - le, quas-cumqu<sup>e</sup>

3 D G D Em D Em Em (2)

in li-quen-ti-bus stag-nis ma-ri-que vas-to fert u-ter-que Nep-tu - nus; quam te li-ben-ter

7 D Em D G

quam-que lae - tus in - vi - so vix m<sup>i</sup>p - se cre - dens Thy-ni<sup>as</sup> at - que Bi - thy - nos

10 D Em D B7 Em Em (3) D Em

li-quis-se cam-pos et vi-de-re t<sup>e</sup>in tu - to. O quid so-lu - tis est be-a - ti-us cu-ris,

14 D G Bm D

cum mens o-nus re-po-nit ac pe-reg-ri-no la-bo-re fes-si ve - nimus Lar<sup>as</sup> ad nos-trum

18 G D B7 Em

de - si - de-ra - toqu<sup>e</sup> ac - qui-es - ci-mus lec - to? Hoc est quod u - numst

21 D B7 Am Em D B7 Em

pro la-bo - ri-bus tan - tis... hoc est quod u - numst pro la-bo - ri-bus tan - tis!

24 Em (4) D Em

Salve, o ve-nus - ta Sir - mi<sup>o</sup>, atqu<sup>e</sup> e - ro gau - de; gau - de - te vosqu<sup>e</sup>, o

27 D G D [1 Em D Em]

Ly - di-ae la-cus un-dae, ri - de - te, quid- quid est do-mi ca- chin - no - rum!

30 2. Em D B7 Em

est do - mi ca - chin - no - rum!

QVINTVS HORATIVS FLACCVS  
"Acerba fata Romanos agunt"  
(Epod. VII.)

Quo curritis, quo ruitis o scelesti cives?! Aut cur enses vestri, qui ante abditi erant, iam iam manibus aptantur? Num post tot bella parum Latini sanguinis super campos et maria effusum est? Quid ergo gladios iterum eduxistis?! Eheu, non eo consilio, ut exercitus Romanus feroces hostes debellaret, et, sicut olim invidae Karthaginis arces superbas destruxit, ita nunc aliorum quoque urbes ureret! Neque eo consilio, ut novi et adhuc intacti populi, velut Britanni, imperio nostro subicerentur; dumque triumphus agitur, captivi in catenis vincti per viam Sacram descenderent! Immo, vos arma movistis ut impleretis illud, quod Parthi, invicti adhuc hostes, iam diu optabant: ut nostra gens sua manu periret atque haec nostra Urbs suis viribus corrueret! Proh, pudor! Ferae bestiae estis, non homines! Immo vero etiam ipsis bestiis saeviores estis: nam mos hic pugnandi neque lupis, neque leonibus umquam fuit, nisi contra dispar genus animalium. Furorne caecus, an acrior etiam vis, an culpa vos rapit? Respondete! – Ecce, istae bestiae responsum noverunt nullum: tacent omnes, pallor vultus eorum afficit, mentesque percussae stupent. Sic est, acerba fata scelusque fraternae necis Romanos agunt, ex eo quidem tempore, quo in terram fluxit Remi immerentis cruor, qui etiam nobis, nepotibus sacer est, poenamque divinam adhuc poscit!

Cum notis ad capitulum XLI Rae

Metrum: Iambicum systema epodicum

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris aptantur enses conditi?	<i>manibus dexteris</i>    aptare = iungere con-dere -didisse -ditum = occultare
Parumne campis atque Neptuno superfusum est Latini sanguinis?	Neptunus : mare    super-fundere -fudisse -fusum + dat Latinus -a -um : Romanus parum... sanguinis
Non ut superbas invidae Karthaginis Romanus arces ureret,	invidus -ae -um = qui invidet (: potestatem Romanis) superbae arces : quae impetum Romanorum contemnant
intactus aut Britannus ut descenderet Sacra catenatus via;	in-tactus -a -um = non tactus (: qui nondum est sub potestate Romanorum)    via Sacra : per hanc viam triumphus ducebantur catenatus -a -um = catenā vinctus
sed ut secundum vota Parthorum sua Urbs haec periret dextera!	votum -i n (< vovere) = quod optatur Parthi -orum m : gens Asiae Romanis inimicissima : Urbs haec periret suā dexterā (: se ipsa morti daret)
Neque hic lupis mos nec fuit leonibus umquam nisi in dispar feris.	in : contra    dis-par -is (↔ par) = diversus : hic mos neque lupis nec feris leonibus umquam fuit, nisi in dispar <i>genus animalium</i>
Furor-ne caecus, an rapit vis acrior, an culpa? Responsum date!	furor -oris m (< furere) = insania    culpa -ae f = scelus
Tacent, et albus ora pallor inficit mentesque percussae stupent.	os oris n : vultus pallor -oris m < pallere    in-ficere = colore afficere percellere -culisse -culsum = percutere, perturbare
Sic est: acerba fata Romanos agunt scelusque fraternae necis,	acerbus -a -um : molestus, durus fraternus -a -um < frater : nex Remi a fratre Romulo occisi
ut immerentis fluxit in terram Remi sacer nepotibus cruor.	in-merens -ntis = qui non meret ( <i>mortem</i> )    fluere fluxisse sacer -cra -crum : qui poenam divinam secum fert nepos -otis m : posterī : cruor sacer nepotibus

HORATIUS - CONTRA BELLA CIVILIA

Euo quo sce-les-ti rui-tis aut ex dex-te-riq ap-far-tur en-seq con-eli-ti pa-  
rum-ne cam-pis at-que Nej-tur-no su-per-fu-ruet la-ti-ni sae-gui-riq


sed at se-con-dum vo-ta par-tho-næ in-ter hæc per-i-tes dex-te-ra nequ'  
hic re-pis mag nec fu-ib fa-o-ni-bus am-queq neq in dis-por fa-riq

QVINTVS HORĀTIVS FLACCVS  
Ad Neobūlen  
(Carm. III. 12.)

*Miseram Neobules sortem dolet, quam patruus ab Hebri amore prohibet.*

*Metrum: Ionicum a minore*

<p>Miserārum 'st nequ' amōrī dare lūdum neque dulcī mala vīnō laver' aut exanimārī metuentēs patruae verbera linguae.</p>	<p>miserarum puellarum est    dare ludum amori : amare : dolci vino mala (= res malas) lavare (= lavare) exanimari -atum = animo relinqui patruus -a -um &lt; patruus -i m = frater patris; hi enim severiores quam patres esse dicebantur verbera linguae : reprehensio, maledictio</p>
<p>Tibi quālum Cytherāe puer ālēs, tibi tēlās operōsaeque Minervae studiū aufert, Neobūlē, Liparaeī nitor Hebrī,</p>	<p>qualus -i m = canistrum, in quo pensa sua feminae servabant Cytherea -ae f = Venus, quae e mari nata primum ad Cytheram insulam, haud longe a Creta sitam, concha sua appulit. puer Veneris : Cupido    ales -itis = alatus, qui alas habet tela -ae f = textus    operosus -a -um = industrius Minervae studium : ars texendi quam Minerva mulieres docuisse dicitur nitor -oris m (&lt; nitēre = splendēre) = splendor, pulchritudo Liparaeus -a -um &lt; Lipara -ae f = insula prope Siciliam Hebrus -i m = puer quem Neobule amat : O Neobule, puer ales Cytherae et Liparae Hebri nitor tibi auferunt qualum et telas, quae sunt studium operosae Minervae</p>
<p>simul unctōs Tiberīnīs umerōs lāvit in undīs; eques ipsō melior Bellerophonte, neque pugnō neque segnī pede victus;</p>	<p>ungere unxisse unctum = unguento perfundere    lavare lavisse lotum : simul atque Hebrus lavit umeros unctos in undis Tiberinis Tiberinus -a -um &lt; Tiberis -is m = fluvius Romae : Hebrus qui est eques melior... eques -itis m = qui equo vehitur Bellerophon -nis m : heros Graecus qui Pegaso, equo alato, utebatur vincere vicisse victum    segnis -e = piger, lentus</p>
<p>catus īdem per apertum fugientēs agitātō grege cervōs iaculār' et celer artō latitantem fruticēt' exciper' aprum.</p>	<p>catus -a -um = peritus iaculari -atum &lt; iacere; iaculo uti (iaculum -i n = pilum quod procul iacitur) artus -a -um = angustus latitare -avisse -atum &lt; latēre fruticetum -i n = campus fruticibus opertus : idem catus est per apertum campum cervos in agitato grege fugientes iaculari et celer est excipere aprum latitantem ex arto fruticeto</p>
<p>Sappho, Fragm. 102. γλόκη μάτηρ, οὔτοι / δύναμαι κρέκην τὸν ἴστον πόθω δάμναισα παῖδος / βραδὶναν δι' Ἀφροδίταν</p>	



CÆIVS VALERIVS CÆTVLLVVS

Carmen LXIII. De Attide

ad cap. 42

Metrum: Galliambus

<p>Super alta vectus Attis celerī rate maria, Phrygi<sup>am</sup> ut nemus citātō cupidē pede tetigit, adiitqu<sup>e</sup> opāca silvīs redimīta loca deae, stimulātus ibi furentī rabiē, vagus animī,</p>	<p>Attis -idis <i>m</i>    ratis -is <i>m</i> = navis ex solis trabibus facta Phrygius -a -um &lt; Phrygia -ae <i>f</i> ut : cum, ubi    nemus -oris <i>n</i> = silva sacra citātus -a -um = in-citātus (numine deae)    cupidē <i>adv</i> redimītre -isse -itus = cingere stimulāre -āvisse -ātum = incitāre vagus -a -um = errāns animī <i>loc</i> = in animō</p>
<p>devolsit il<sup>i</sup> acūtā sibi pondera silice, itaqu<sup>e</sup> ut relictā sēnsit sibi membra sine virō etiam recente terrae sola sanguine maculāns, niveīs citata cēpit manibus leve tympanum,</p>	<p>devellere -velli (-volsi) -vulsum = eripere ile -is <i>n</i> (ilia -ium <i>n pl</i>) = imus venter pondera <i>virilia</i>    silix -icis <i>f</i> = genus lapidis (saepe acutum) ut sensit : cum sensisset    sine virō : sine virilibus etiam : adhuc    recens -ntis = novus maculāre -āvisse -ātum (&lt; macula -ae <i>f</i>) = sordidum facere niveus -a -um = albus tamquam nix ex-citatus -a -um    citata <i>Attis</i> (-idis <i>f</i>) tympanum -ī = instrumentum musicum IMAGO</p>
<p>tympanum, tubam, Cybellē, tua, māter, initia, quatiēnsque terga taurī teneris cava digitis caner<sup>e</sup> haec suis adorta <sup>e</sup>st tremebunda comitibus.</p>	<p>Cybele -es, Cybele -es <i>f</i> = Magna Mater, dea quae in Asia colebatur : cepit leve tympanum et tubam, o mater Cybele, quae sunt instrumenta ad initia tui ritus cava terga tauri : tympanum ex pelle tauri factum ad-oriri -ortum esse = incipere tremebundus -a -um = qui tremit : Attis (<i>f</i>), tremebunda, adorta est canere suis comitibus</p>
<p>„Agit<sup>e</sup> ite ad alta, Gallae, Cybelēs nemora simul, simul ite, Dindymēnae dominae vaga pecora, aliēna quae petentēs velut exulēs loca sectam me<sup>am</sup> exsecūtae, duce me, mihi comitēs</p>	<p>Galla -ae <i>f</i> = sacerdotes Cybeles Dindymēnē -ēs /-ae <i>f</i> = Cybele vagus -a -um = errāns vaga pecora Dindymēnae : il qui Cybelem colunt exul -is = qui poenae causa extra patriam missus est secta -ae <i>f</i> = grex hominum qui eandem doctrinam sequuntur ex-secutae &lt; ex-sequi    : vos, quae mihi comites estis salum -i <i>n</i> = mare truculentus -a -um = saevus    pelagus -i <i>n</i> = mare : tulistis (: per-tulistis, passi estis) rapidum salum (: mare agitatum) et truculenta (: pericula) pelagi e-virare = virilia auferre hilarare = hilarem, laetum facere : hilarate animum erae (: Cybeles) erroribus citatis a mente : simul me sequimini!</p>
<p>rapidum salum tulistis truculentaque pelagi et corpus ēvirastis Veneris nimi<sup>o</sup> odiō; hilarāt<sup>e</sup> erae citātis erroribus animum. mora tarda mente cēdat: simul ite, sequimini</p>	<p>truculentus -a -um = saevus    pelagus -i <i>n</i> = mare : tulistis (: per-tulistis, passi estis) rapidum salum (: mare agitatum) et truculenta (: pericula) pelagi e-virare = virilia auferre hilarare = hilarem, laetum facere : hilarate animum erae (: Cybeles) erroribus citatis a mente : simul me sequimini!</p>
<p>Phrygi<sup>am</sup> ad domum Cybellēs, Phrygi<sup>a</sup> ad nemora deae, ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant, tībīcen ubi canit Phryx curvō grave calamō, ubi capita Maenadēs vī iaciunt hederigerac, ubi sacra sancta acutis ululātibus agitant, ubi suēvit illa dīvae volitāre vaga cohors, quō nos decet citātis celerāre tripudiis.”</p>	<p>cymbalum -i <i>n</i> = discus aeneus IMAGO    cymbalorum re-boāre = resonare, clamare, strepitum facere Phryx -gis &lt; Phrygia    grave (: graviter) <i>adv</i> &lt; gravis <i>adi</i> calamus -i <i>m</i> = tibia Maenas -dis <i>f</i> = femina quae numine Bacchi capta est hederiger -ra -rum &lt; hedera + gerere caput iacere : iactāre, agitāre (= citō movēre) ululatus -ūs <i>m</i> &lt; ululāre suescere -visse -uetum = solēre volitare (&lt; volare) : errare, discurrere cohors -tis <i>f</i> = grex : ubi illa dīvae (: deae) cohors vaga suēvit volitāre celerāre = properāre tripudium -i <i>n</i> (&lt; ter + pedes) = saltatio (&lt; saltāre) agitata</p>

Horatii carmen ad commilitones (Epod. XIII)

Horatius iuvenis iam tertium annum pro libera re publica sub Bruto militabat, cum tandem exercitus contrarii omnibus copiis ad campum prope Philippos deducti sunt. Nocte autem ante maximum proelium, quod idem ultimum futurum erat, saevissima tempestas orta est. Timor ater in castra incessit omnesque simul militum animos defixos tenebat. Horatius igitur amicos, qui solliciti plenique curis fulgura spectabant in tenebris micantia, ad convivium invitavit eorumque animos his verbis erigere conatus est:

“Videte, sodales! Tempestas horrida in caelo nubes atra contraxit, et imbres copiosaeque nives ita caelum terramque miscent, ut Iuppiter ipse in terras descendisse videatur! Audistisne? Mare et silvae nunc Aquilone sonant, vento frigido qui fortissime e Thracia flat! O amici, carpamus diem, et tot negotiis distracti rapiamus occasionem de die, dumque iuvenes sumus et fortes, dum genua virent et aetatem nostram quoque decet, gaudeamus! Solvantur tandem rugae, quas curae et senectus in frontes incidunt nostras.

Heus, tu, puer! Veni huc et move ad nos vina vetusta, quae ex uvīs pressa sunt tribus et viginti ante annis, cum ego natus essem, consule L. Torquato; age, puer, da vinum nobis, de ceteris vero curis mitte loqui: deus fortasse, tempore suo, cum olim iterum benignus erit, has curas solvet, resque confusas et eversas iterum ordine componet inque sedem reducet suam.

Nunc autem iuvat oleo Persico perfundi; nunc iuvat fidibus Mercurii canere atque cantu pectora nostra levare diris sollicitudinibus; sicut Chiron quoque, nobilis ille Centaurus cecinit Achilli, grandi suo alumno: «O, invicte Achille, o puer mortalis, nate deā Thetide, te exspectat Troia, tellus Assaraci, quam duo frigida flumina findunt, parvus Scamander et lubricus Simois; unde tibi viam reditus Parcae clausurunt, quae filium vitae tuae post certum tempus rumpent; nec mater ipsa, quae dea est maris caerulei, te domum revehere poterit. Illic igitur in castris omne malum deformis aegrimoniae vino, cantu, et dulcibus colloquiis levato!»”

Metrum: Stropha Archilochea II

Horrida tempestas caelum contraxit, et imbres nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc silvae	horridus -a -um = horrendus, horribilis tempestas caelum contraxit = t. nubes in caelo contraxit imbres et nives de caelo de-ducunt Iovem : tanta est vis tempestatis, ut Iuppiter ipse in terras descendisse videatur
Threicio Aquilone sonant. Rapiamus, amici, occasionem de die, dumque virent genua	Threicius -a -um = qui ex Thracia venit occasio -onis f = tempus idoneum rapiamus occasionem de die : nobis tempus praebemus vacuum et idoneum ad convivium virere = herbae colore esse; vires habere dum genua virent : dum pedes nos firmiter sustinere possunt, dum vires habemus, dum iuvenes sumus
et decet, obducta solvatur fronte senectus!	senectus -utis f = aetas senis; curae quae senes occupant ob-ducere -duxisse -ductum = operire senectus solvatur fronte obducta : solvantur curae quae frontes nostras contrahunt et quae ad senectutem nos adducunt (: gaudeamus)
Tu vina Torquato move consule pressa meo; cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenio	vina pl = vinum sg    vina move : infunde vinum in pocula Torquato consule meo : Horatius natus est VI. Idus Decembris L. Cotta et L. Torquato consulibus (anno 65 a. Ch. n.) cetera mitte loqui : de ceteris rebus noli loqui victis -is f = mutatio (< mutare) : deus haec omnia (: res confusas, curas cet.) benigna vice (: cum deus iterum in benignum mutatus erit) in sedem suam reducet (: in ordine ponet)
perfundi nardo iuvat et fide Cyllenaea levare diris pectora sollicitudinibus; nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno: „Invicte, mortalis dea nate puer Thetide,	Achaemenius -a -um = qui ex Persia venit (Achaemenes fuit rex Persiae, avus Cyri) nardus -i f = genus pretiosum unguenti (: olei suavis quo corpus tractatur) Cyllenaeus -a -um = qui ex Cyllene, monte Arcadia venit fide Cyllenaea (= fidibus Cyllenaeis pl) : Mercurius, qui in monte Cyllene est natus, fides (: lyram) primus invenit levare -avisse -atum (< levis) + abl = liberare ab aliqua re sollicitudo -inis f = cura    grandis -e = magnus alumnus -i m = discipulus grandis alumnus : Achilles, filius nymphe Thetidis et discipulus Chironis (: nobilis Centauri) in-victus -a -um = non victus, qui vinci non potest

<p>te manet Assaraci    tellus, quam frigida parvi findunt Scamandri flumina    lubricus et Simois; unde tibi reditum    certo subtemine Parcae rupére, nec mater domum    caerulea te revehet.</p> <p><i>Illic omne malum    vino cantuque levato, deformis aegrimoniae    dulcibus alloquitur.</i>"</p>	<p>manére mansisse + <i>acc</i> = exspectáre Assaracus -i = Anchisae pater    tellus A. : Troia findere fidisse fissum = dividere Scamander -dri <i>m</i>, Simois -entis <i>m</i> = fluvii qui prope Tr. fluunt lubricus -a -um : qui (tamquam anguis) multis curvis fluit subtemen -inis <i>n</i> : filum certum subtemen = cuius longitudo iam constituta est Parcae -arum <i>f</i> = tres deae quae humanae vitae filum conficiunt aut rumpunt, cum mortem adferre volunt rupére = rupérunt    caeruleus -a -um = color maris caerulea mater : Thetis, maris nymphe re-vehere    de-fórmis -e ↔ fórmósus (= foedus) : unde (: ex oris Troiae) reditum Parcae certo subtemine tibi rupérunt, et unde nec mater caerulea te domum revehet</p> <p>aegrimonia -ae <i>f</i> (&lt; aeger) = dolor animi al-loquium -ii <i>n</i> = colloquium : illic vino et cantu et dulcibus alloquitur omne malum deformis aegrimoniae</p>
---	--



PVBLIVS VERGILIVS MARO  
Conticuere omnēs  
(Aeneis II. 1-13.)

<p>Conticuere omnēs intentūq<sup>o</sup> ōra tenēbant; inde torō pater Aenēas sīc orsus ab altō: “Infandum, rēgīna, iubēs renovāre dolōrem, Trōiānās ut opēs et lāmentābile regnum ēruerint Danaī, quaequ<sup>o</sup> ipse miserrima vīdī et quōrum pars magna fuī. Quis tālia fandō Myrmidonum Dolopumv<sup>o</sup> aut dūrī mīles Ulixis temperet ā lacrimīs? Et iam nōx ūmida caelō praecipitat suadentque cadentia sīdera somnōs. Sed sī tantus amor casūs cognoscere nostrōs et breviter Trōiac suprēm<sup>um</sup> audīre labōrem, quamqu<sup>um</sup> animus meminiss<sup>o</sup> horret luctūque refūgit, incipiam.”</p>	<p>con-ficescere -cuisse = tacitus fieri conticuere = -erunt intentus = attentus sic orsus est ab alto toro: “...” iubēs mē infandum dolōrem renovāre nārrandō ut (: quōmodo) Danaī opēs Trōiānās et lāmentābile rēgnum ēruerint (= dēlēverint) ē-ruere -uisse -utum = dēlēre quae n pl (: quās rēs miserrimās ipse vīdī et quārum pars magna fuī) tālia fandō : dum tālia fātur (nārrat) Myrmidonēs, Dolopēs -um m pl, gentēs Thessaliac, militēs Achillis : quis ex Myrmidonibus Dolopibus-ve aut quī mīles dūrī Ulixis...? Ulixis -is m, dux Graccōrum temperāre = sē abstinēre nox ūmida dē caelō sē praecipitat (in Ōceanum) cadentia (: occidentia) sīdera somnōs suadent : suadent ut dormiāmus sī tibi est tantus amor cognōscere (: tanta cupiditās cognōscendī) casūs nostrōs suprēm<sup>us</sup> -a -um = summus, ultimus a luctu re-fugit</p>
--	---

CON- TI- CU- ER' OM- NES IN- TEM- TIQU' O- RA TE- NE- BANT  
 IN- DE TO- RO PA- TER AE- NE- AS SIC OR- SUS AB AL- TO  
 IN- FAN- DUM RE- GI- NA IU- BES RE- NO- VA- RE DO- LO- REM  
 TRO- IA- NAS UT O- PES ET LA- MEN- TA- BI- LE REG- NUM E- RU- E-  
 RINT DA- NA- I QUAEQU' IP- SE MI- SER- RI- MA VI- DI ET QUO-  
 RUM PARS MAG- NA FU- I QUIS TA- LI- A FAN- DO MYR- MI DO- NUM DO- LO-  
 PUMV' AUT DU- RI MI- LES U- LI- XI TEM- PE- RET A LA- CRI- MIS ET  
 IAM NOX U- MI- DA CAE- LO PRAE- CI- PI- TAT SU- A- DENT- QUECA- DEN- TI- A SI- DE- RA  
 SOM- NOS SED SI TANT- TUS A- MOR CA- SUS COG- NOS- CE- RE  
 NOS- TROS ET BRE- VI- TER TRO- IAE SU- PREM' AU- DI- RE LA- BO- REM  
 QUAMQUA- NI- MUS ME- MI- NISS' HOR- RET LUC- TU- QUERE- FU- GIT IN- CI- PI- AM

Chord markings: F, Dmin, Amin, Dmin, C, F, Gmin, Dmin, Gmin, C, Gmin, Dmin, C, Bb, C, F, Bb, Gmin, Dmin, Bb, C, F, C, Dmin, F, Bb, C, F, Dmin, Bb, Dmin, Bb, Dmin, F, C, Bb, Gmin, Dmin, F, Gmin, Dmin, A7, Dmin.